

III.

NEOVIDENSIS

Nro 26. (*Neovidensis* 1805. Nro 22.)

Ex campis Elysiis.

Politicum Colloquium vita functorum.

Elysiūm -- Meum -- Die Veneris 29. Mart. 1805. (Neov. 13. Mart.)

Ille est omnipotens, qui toto regnat in orbe,
Ille potens tantum, cui pars terraquea mundi
Subiecta est; mare qui tenet ecce potentior ille;
Hic est conflictus, sunt hæc spectacula mundi!

De origine potentiae maritimae Angliæ.

In fortunatis Elysiæ sedibus, ubi tabulatum adamantibus est expositum, columnæ ex lapide granato sculptæ, ubi fontes salientes vinum Campanense, aquam Coloniensem, & in nonnullis locis etiam vinum anni 83 effundunt, ubi memoria vitæ præteritæ in aère pendet, magno numero congregati erant Mænes; quilibet in calculum vocabat originem hodierni Europæ status. Quæstio ponebatur, cur tanta sit hodie Angliæ, & Galliæ potentia?

Umbra, quæ A. 1780 hanc materiam pertractaverat, esto jam tunc potentiam maritimam Angliæ egregie descriperit, redintegrandæ tamen memoriæ causa sequentem legit dissertationem. En ejus compendium:

Quemadmodum potentia Britannicæ Monarchiæ a tempore Unionis (sub Jacobo 1. qui

A. 1603 Regium principatum obtinuit,) derivatur, ita origo præsentis rei navalis in administratione Cromwelli quærenda est. (*ab anno 1649 usque ad 13 Septembris 1658.*)

Jam a regimine Elisabethæ Reginae (*conscendit thronum 1553. Et e medio sublata Maria, sola regnavit ab anno 1558.*) Angliæ Regnum politicum adoptavit Systema. Sub prioribus enim Anglicis Imperantibus ita casu, & per confusam, atque barbaram prudentiam civilem regebatur, sicut Gallia, ante tempora Henrici IV.

Tunc primum suscepta fuit cogitatio quærendi palmum terræ in America, quæ tunc maximam partem gloriæ Europæorum effecerat. Provincia Virginia prima erat Anglorum colonia Anno 1562.

Commune desiderium, quo tota Europa tenebatur, novas terras detegendi, promovit artem navigandi. Mare habitum est theatrum divitiarum, & felicitatis. Hinc gradatim enata est nova Politica, quam dominationem maritimam nominarunt.

Ex eo tempore de hoc imperio omnes maritimæ nationes acerrime decertant, & quomodocunque se fingant, suamque moderationem jactent; certissimum tamen est, omnes earum conatus ad illud obtinendum tendere, & in uniuscujusque animo latere votum potiendi potentia maritima exclusis aliis.

Constat, hanc dominationem principio apud Portugallos fuisse, qui primi viam ad Americam detexere; sed paulo post eam in-

ter posteros Columbi diviserunt. Interitus Armadae finem imposuit Hispanicæ in mari jurisdictioni sub Philippo III. (A. 1596.) Ex quo hæc potestas ad Anglos, Hollandos, & Gallos pari jure pertinebat.

Historia Anglicæ navigationis, atque commercii est per totum cum Historia Regni conjuncta.

Regnante Elisabetha res marina Angliæ insignes fecit progressiones, omnia enim imperii facta pondus habebant. Successit Jacobus II. cujus animi debilitas labefactavit etiam rem navalem. Hollandi, & Galli invaserunt commercium Anglorum; & quantum ipsius regni vires, tantum etiam res maritima diminuta fuit, vel, quod in calculo politico idem est, quantum ejus rivalet profecerunt.

Carolus I. capessens regni gubernacula agnovit errores Patris, sed eos corrigere caruit viribus. Non deerat illi animus ista tentandi, & ad Regni felicitatem provehendi, verum acceleravit per id suum infortunium. Ut Hollandos jam valde audaces effectos suos in limites redigeret, constituit eos adornata Classe adoriri; quam in rem necessarius ei erat nervus belli. Hoc concitavit civiles tumultus, quorum tristissimum fuisse exitum quisque novit.

Interfecto Carolo usurpavit imperium eo tempore, quo dominatio maritima fere tota ad Hollandos, & Gallos devoluta est, hi enim infelicem internam Angliæ scissionem in rem suam converterunt.

Hic incipit accurata descriptio rei navalis Anglorum. Hollandi difficultates primæ ætatis superaverant, suntque ingressi ætatem virilem, id est: eorum vires, atque opulentia in immensum crescebat: Potentia jam eum attigerat gradum, ut Cromvello bellum gerenti 100 naves bellicas opposuerint.

Tam florentes res tunc adhuc non erant Gallorum. Ad clavum imperii sedente Ludovico XIV A. 1653 decem tantum naves 50 tormentorum habebant. At dirigente rem navalem Colberto repleverunt coloniis, & plantationibus Americam, cæperuntque imperitare in maribus.

Sic patuit, quod hæcenus latuerat, Republicam Hollandorum, nec non Aulam Gallicam adversam esse utilitati Anglorum.

Si Hispani inexcusabili errore suam fortunam non evertissent, & in locum mactatorum in America tot millium hominum, se potius dilatassent, Philippus IV fuisset procul dubio potentissimus orbis Monarcha, mansissetque arbiter omnium controversiarum. Cæterum hæc animadversio non pertinet ad spheram nostræ materiæ.

Cromvellus iterum ad tantum florem perduxit Britannicam Classem, ut celeberrima a Præfæto Classis Blak, & navali Duce Tromp ad Harlemum relata victoria in dubio fuerit relicta, ut Anglica Classis, quæ ad Indiam occidentalem vela fecerat occupatura Hispaniolam, in reditu Jamaicam expugnaverit, omnibusque in mari navigantibus terrori fuerit,

Reipsa potentia Anglorum nunquam fuit formidabilior, & commercium nunquam florentius, quam sub absoluto hujus singularis viri imperio : omnia usurpationis vitia compensavit excellenti administratione regni, sed potissimum spiritu, quem rei maritimæ, & commercio inspiravit.

Equidem, quamdiu vixit, crescentes sub Ludovico XIV vires marinas Gallorum non potuit frangere, impedivit tamen, dum regni habenas moderabatur, ne se Gallia amplificet ; at suis institutis jecit fundamentum, ut a morte ejus Anglia in mari Galliam superaverit.

Carolus II regno potius inventi 56 naves primæ magnitudinis, viditque vexilla Anglica per omnes mundi partes gloriose circumferri.

Liceat jam ad prima rei maritimæ Anglorum exordia oculos convertere. Henricus VIII volens Classem erigere, debuit naves a Dantiscanis, Lubecensibus, potissimum vero a Genuensibus, & Venetis, qui tunc in Europa soli erant architecti navales, coëmere. Elisabetha primam Classem constituit ad normam hodiernæ terrestri militiæ, deditque civibus Londinensibus, & Portus magni facultatem, ædificandi naves, & suo periculo patriam defendendi. Qua ratione minimum id effecit, ut formationum nautarum schola haberetur. Successori suo reliquit 42 naves ad bellum gerendum plene paratas.

Carolus II inventam Classem auxit numero 83 navium, inter quas 58 primæ magnitudinis referebantur. Hoc regnante res maritima ad

summum fastigium adducta est, & ars construendi naves facta domestica.

Sub Jacobo II. ejus Fratre res marina Anglorum majus adhuc cepit incrementum. Ille etenim, antequam Rex crearetur, præfuit Classi, artemque signa dandi invenit. Vitio ei datur, quod magis sciverit aquas, quam homines regere. Tandem imperium dereliquit.

Quod Vilhelmus III. suscipiens reperit Classem ex 63 diversæ magnitudinis navigiis constantem, quæ 7 mille tormentis, & 42 millibus nauticorum hominum erat instructa.

Quanta sit hodierna potentia maritima Anglorum, docent annales præsentis belli.

Res maritima est nova species potentia. Veteres ea carebant, vel saltem videbantur eam parvi pendere. De Romanis affirmatur, eos nunquam voluisse Classem habere.

Sed etiam per maritimam potentiam systema æquilibrii in Europa est penitus immutatum. In illa sola modo sita est omnis magnitudo, illa decedit sortem regnorum.

Interea alienum est a ratione existimare, eam id intendere, ut una communis dominatio inducatur: Nam universalis Monarchia mari perinde inanis est designatio, quam terra. Potentia maritima triplo pluris constat exercitu terrestri. Nulla gens abundat tantis opibus, ut posset tridentem Neptuni mercari, seu sola in Oceano imperium exercere.

Navale tamen systema Angliæ longe superat vires marinas omnium reliquarum nationum numero navium, & habilitate nautarum. Illud est præcipuum robur Britannicæ Gentis.

*Resolutio Problematis, anno præterito Nr. 66.
propositi:*

Prima littera Alphabeti sit = x , secunda
= $x + y$, tertia = $x + 2y$ & sic porro; erit quad-
ratum de $K = (x + 9y)^2$, & Triangulum de $D =$
 $x + 3y + x + 3y$. Hinc sequentes prodeunt æ-
quationes: — $\frac{(x + 9y)^2 (x + 3y + x + 3y)}{2} = 4$

$(x + 24y)(x + 9y)$; vel dividendo $x + 9y$: —
 $(x + 9y)(x^2 + 6xy + 9y^2 + x + 3y = x^2 + 9y^2 + 10xy + 3x + 3y)$..

A ; præterea prodit $(2x + 24y)^2 = (x + 12y)$
 $(25 - 24y)$, vel dividendo per $x + 12y$: $x =$
 $25 - 24y$.. B . Substituendo hunc valorem
in A , dein reducendo, & dividendo per 15:
 $441y^3 - 806y^2 + 2435y - 1070 = 0$; unde
 $y = 1$, & $x = 25 - 24 = 1 = A$. Item $B = 2$;
 $C = 3$. &c.

Ut valor litterarum determinetur, ita est
procedendum: Ponatur $c = g^2$ & $Vc = g$; hunc
valorem in æquationibus substituendo erit
 $2g = a + b - e$.. A ; $a + g^2 = b + d$.. B ; $ag^2 = e$
.. C ; $e = 2g - b$.. D , & $a^2 = g^4 + b + d$.. E .
Deinde addatur A ad D , & substituatur summa,
nimirum $a = 2e$ in reliquis æquationibus erit
 $2g = e + b$.. F ; $2e + g^2 = d$.. G ; $2g^2 = d$..
 H , & $4e^2 = g^4 + b + d$.. I . Porro substituatur
valor in b ex F , videlicet $b = 2g - e$ in cæteris
æquationibus, erit $3e + g^2 = 2g + d$.. K , &
 $4e^2 = g^4 + 2g - e + d$.. L . Jam substituendo
 H , in L prodibit $3e = 2g + g^2$, vel $e = \frac{2g + g^2}{3}$

M, & $4e^2 = g^4 + 2g - e = 2g^2$. . N. vel si M substituatur, & deinde per g dividatur $5g^3 - 16g^2 - g + 12 = 0$. Hinc nascitur $g = 3$. Substituendo hunc valorem in aliis æquationibus prodit $a = K$, $b = A$; $c = I$. $d = S$. $e = E$. Sed etiam ex $bf^2 - af = a^2 + b + d$ sequentia fluunt: $f^2 - 10f = 119$; unde $f = 5 - \sqrt{144} = 17 = R$; id est KAISER.

In secundo verbo ista observanda: Cum sit $g = d$, & $a = h$, ponatur hic valor in cæteris æquationibus, & erit $a + b = d$. . A; $a + b + c = 2d + 1$. . B; $f + e = b + c$. . C; $a + c = 2d$. . D; $f^2 = d + e$. . E; & $a^2 = de + c$. . F. Si inventus in A valor in d substituatur, prodit $c = a + b + 1$. . G; $f + e = b + c$. . H; $c = a + 2b$. . I; $f^2 = a + b + e$. . K; & $a^2 = ae + b + c$. . L. Subtrahendo autem G ab I, habetur $b = 1$, unde fluit: $c = a + 2$. . M; $f + e = c + 1$. . N; $f^2 = a + 1 + e$. . O, & $a^2 = ae + e + c$. . P. c ex M, ulterius substituendo est $f + e = a + 3$. . Q; $f^2 = a + 1 + e$. . R; & $a^2 = ae + e + a + 2$. . S; Ponendo a ex Q in R, & S prodit $f = f^2 + 2e + 2$. . T, & $f^2 + ef + 10 = 7f + 5e$. . U. Ponendo e ex T, in U nascitur $f^3 - 4f^2 - 7f + 10 = 0$. Hinc patet $f = 5$, consequenter $a = N$; $b = A$; $c = P$; $d = O$; $e = L$; $f = E$; $g = O$; $h = N$. seu NAPOLEON.

Jam si valor litterarum primi verbi substituatur in $a^2d + e - b$, erit $1800 + 5 - 1 = 1804$; $a^2 = 25$, & $a + b = 11$; sive tempus publicationis: 25 Novembris 1804.

Isaacus Schuster. Francofurt. Tabel. filius.

In hac resolutione egregie versatus est Philip Ludv. Emmel Hanoviensis.